

pedes sunt penitus sere negligentes, & in remotiora ac peregrina nimis intenti, cum Thalete in foveas incauti procidunt, vel decrepitis aniculis deridendi; nimirum præproperè nimis inferentes, cùm universalem aërearum mutationum causam esse Solem sit palpabile, particulares etiam, quæ generalem hunc influxum Solis ad specialem istam varietatem determinent, è cœlo pariter esse arcessendas; nullâ profecto, non dicam necessitate, sed veri faltem aliquâ specie: siquidem effectus alii in terris innumeri observantur universali Solis actione produci indubie soliti (e. g. cœræ liquefactio, luti induratio, insectorum, si non cœterorum animalium omnium, generatio, vegetabiliumque totuplicis differentiæ germinatio &c. quorum specificatio tamen (ut cum Scholis loquar) à causis partialibus elementaribus, ac seminalibus ideis sive dispositionibus, quæ succum alimentarem ad hanc & istam partium enutritionem diversimodè determinant, evidentissimè dependet.

III. Neque verò adeò in obscuro positæ sunt causæ illæ particulares in ipso hoc Elementari mundo reperiundæ, quæ halitus istos à Solis calore, Lunari fortè lumine quoque tantillum per vices adjuto, excitatos non solum in diversas adeò meteororum formas disponant, sed in has, istas, illas, regiones, aut incerto varioq; aut statim magis tempore, deferant aut deflectant, neq; adeò copiis cœlestibus auxiliaribus, ex immenso intervallo advocandis universam terram influentiâ suâ (si qua pollent in eam sensibiliter efficaci) quotidie obambulantibus, adeoque & ipsis universali- ter tantum operantibus, opus habeant ad istam varietatem aërea- rum mutationum inducendam: maximè cùm & Phænomena su- periùs enarrata, speciatim XVII. & XVIII. satis evincant, Ven- torum flatùs utramque quod ajunt, paginam in hoc facere nego- tio, nec ipsimet Astrologi, magnam istorum vim in mutandis quo- tidie tempestatibus esse, ausint inficiari; prout num. IX. Hypoth. cap. III. recensitarum ostendimus. Quod verò huic manifestæ ventorum efficaciæ alias etiam occultas causas adjungendas putent, & ventos ipsos eorumque varietates ab astris, ex immenso inter- vallo, arcessere laborant, in eo profecto ludunt operam suam; siquidem illud haut necessarium, hoc verò prorsus impossibile esse facile demonstratu est iis, quibus animus est in tantum sui com- pos, ut præjudicia illa Astrologica, cum ipso lacte nutricum im- bibita,